


Hermann Schuckmann Conrad-Ernestus Daniel

**Disputatio Theologica De Libero Arbitrio, ostendens voluntatis humanae,
secundum IV. status Hominis consideratae, vires**


Rostochi[i]: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738369578>

Druck Freier  Zugang



R. U. Med. 1649.
Schückmann, Hermann
Daniel, Conrad Ernst



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
LIBERO ARBITRIO,
ostendens voluntatis humanæ, secun-
dum IV. status Hominis considerata, vires

28.
Quam
SUMMÆ TRIADOS favore patro-
cinante,

Cum consensu Reverendi Amplissi-
miq; Theologorum Collegij in celeberrima
Rosa Varniaca,

PRÆSIDE

Viro admodum Reverendo, Clarissimo & Excellentissimo

Dn. HERMANNO SCHUCKMAN

S. S. Theol. Doctore & Professore publico Cele-
berrimo, Præceptore, fautore ac Promotore suo
æviternum colendo atq;
suspiciendo

Publicè examinandam sistit

CONRAD-ERNESTUS DANIEL,
Sondershus, Thuringus

A. & R.

*In Aroaterio Majori horis matutinis
ad diem 16. Junij*

1766 (1766)

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLIX

58

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

LIBERO ARBITRIO,

offendens voluntatis humanae, secundum
dum IV. hanc Homini considerat, vices

SUMME TRIADOS favore hanc
clausulae

Cum consensu Reverendi Amplissimi
nisi Theologorum Collegii in celeberrimo

Rosa Varnia
P R A E S I D E

Viri admodum Reverendi, Christiani & Excellentissimi

DO. HERMANNO SCHUCKMAN


3. Theol. Doctore & Professore publico Cele-
berrimo, Praeceptore, hanc ac Promotore suo

ex vultum colendo acq
faciendos

Rebus examinandas illis

CONRAD-ERNESTUS DANIEL

Sonderhaub Thuringen



In Annotatio ad hanc hanc hanc

as (o) so

ROSTOCKII

Typis MICHAELIS KILII. Anno MDCCLXIX

ANNO MDCCLXIX

Quo de Ecclesiastic. 15. v. 14, 15, 16. Additur vocula conditionata; Si. Nam nec Diaboli insidiis, nec peccato impedita fuisset natura à Deo integra creata & libera, nisi volentes se à Deo, heu! avertissent. Quare hic quis curiosus nimium, quam ob causam Jehova hominis voluntatem ad utrumvis indifferentem, & non uno eodemq; modo ac necessario bene agentem, & prorsus immutabilem creavit? Responsum habeto: Jehovaham voluntariam & spontaneam voluisse sibi præstari obedientiam, quod eo conspectior nobiliorve esset obedientia haud coacta, verum liberam voluntate profecta, velut & ipse omnia, tanquam Ens liberrimum, liberè agit. Reliquæ quæstiones ex eadem curiositate pullulantes, utputa: quare Deus primos Parentes peccare & labi permisisset; quare adhuc servos peccati alios sufferat, alios statim perimat &c. à Christianis Christianè convincendæ, deprimendæq; sunt, hoc effato divinissimo Apostoli Rom. 11. 33. exclamantis, ὡς βούθηται ἡ ἀλήθεια καὶ σοφία καὶ γνώσις Θεῶν: ὡς ἀνεξέρευνηται τὰ κείμενα αὐτῶ καὶ ἀνεξιχνίασι. αἱ ὁδοὶ αὐτῶ, Item augustissimi Augustini, dicentis: Altiore nobis non scrutanda esse, nec arcana consilia gubernationis divinæ & non patefactæ expresso verbo Dei, investigari debere.

Th. 2.

Status secundus Hominis est post commissum peccatum ante conversionem ad Deum: Hoc de statu præcipua est controversia, quid in hocce præstare aut non præstare homo possit. Et definire hoc in statu isto modo, salvis accuratioribus definitionibus, libet L. A. quod sit potentia animæ rationalis, quâ efficere civilem justitiam aliquo modo & deligere res rationi subjectas homo potest. Res sunt (α) Naturales, & vitam hanc temporalem spectant, ut transferre corpus & membra corporis ab uno loco ad alium, stare, sedere, dormire, edere. (β) Civiles, spectantes vitam civilem; veluti sunt: gubernare Remp. jus dicere, familiam regere, agrum colere, ruinofam domum destruere, novamq; ædificare, emere, vendere. (γ) Morales, quæ virtutum vitiorumq; exercitium respiciunt, ubi numerantur hæc: Honestè vivere, suū cuiq; tribuere, neminem lædere, egenis largè dare, jejunare; à cæde, ab adulterio, à furto, à calumniâ abstinere. Hæ res omnes sunt positæ in hominis Libero Arbitrio, ut potis sit easdem vel præstare vel ommittere, id quod probatu facile est. Testantur n. sacræ Literæ hominem quædam posse facere, quæ non facit, & contra, facere quædam, quæ posset non facere; 1. Reg. 3. 11 (quia postulasti verbum hoc & non postulasti divitias aut animas inimicorum, sed

sed postulasti sapientiam &c. undè intelligitur, liberum fuisse Salomoni
 aliud quid expetere quàm expetiit. Rom. 1. 19, 32. & Rom. 2, 14, 15. gen-
 tes naturaliter cognoscere, & opera legis facere, item C. 9 Judæos se-
 ctari Legem. Act. 5, 4. Nonnè in tua potestate erat agrum vendere, &
 quid fecerint obstetrices Ægyptiæ feminæ gentiles, ex Exod. 1, 16, 17.
 Quid Joseph, ex Gen. 39. quid Pharisei, ex Novo fædere notum est. Non-
 nè abstinerunt à cæde, ab adulterio, à furto? Suppetunt alia testimo-
 nia, quæ legi possunt, Num. 30, 14. 2. Sam. 24. 12. Patescit ergo hinc, ho-
 minem, posse vi Liberi Arbitrii sui res hæc mente intelligere, volunta-
 te deligere & prosequi, quarum mentio jam facta. Quod præterea con-
 firmari potest à severissimis Dei mandatis, quibus ab omnibus disciplina
 exigitur: Nunc autem proponuntur mandata non membrorum immobili-
 bus & profus necessariò agentibus, sed creaturæ rationali. Negatur
 proinde meritò ineluctabilis agendi necessitas, à Dei motione & guber-
 natione universalì profluens. Quicquid etiam absolutum Calvinianum
 decretum dicat. Res sacræ, religionem concernentes, sunt vel internæ
 vel externæ. Externæ versantur circa externum Religionis exercitium,
 nimirum Verbum Dei audire, legere, meditari, conciones frequentare,
 plenum offendiculi somnum in æde sacrâ odisse, cognitionem histori-
 cam appetere, Sacramentis extrinsecus uti. Hujusmodi res iterum positæ
 sunt in hominis viribus, quatenus sunt studium & obedientia externæ,
 etiam non renati. E. g. Herodes libenter audivit Iohannem, Marc. 6, 20,
 Agrippæ placuit audire Paulum, Act. 26. v. 1. quorum uterq; non erat
 renatus. Sic Felix & uxor ipsius Drusilla irrogeniti vocarunt Paulum,
 ut audirent ab eo Evangelium, Act. 24, 24. Exindè videmus, famem et-
 iam esse in multis nondum conversis audiendi verbum DEI, quæ cum
 studio discendi quoq; conjungitur Amos 8, 11. Cognoscimus proin-
 de hominis potentiam in rebus sacris externis aliqualem esse; Verùm
 variè impeditur (N) à nobis connatâ pravitatè, gignente actualè *κακία*
 Rom. 1, 21, 22. Gen. 6, 3. Eph. 4, 19. (2) ab externis objectis, 1. Joh. 2. 16.
 quicquid in mundo est, cupiditas carnis est, & libido oculorum & su-
 perbia vitæ, Gen. 3, 1, 2, 3. & seqq. (3) à Diabolo, ut exemplo est Saulis Histo-
 ria, 1. Sam. 16, 16 Judæ, in quem intravit Satan, Luc. 22. 3. Sic Eph. 2. 2. dici-
 tur, quod sit efficax in filiis incredulitatis, & captivos ipsos teneat ad suam
 voluntatem, 2. Tim. 2, 26. (7) ab ipso Iehova, Jer. 10, 23: Scio Domine,
 quod non est hominis via ejus ut ambulet, & gressus suos dirigat. Jac.

4, 13, 14. & seq. Nam successus & eventus rerum à divinà gubernatione dependent, non vero in humana sunt potestate, quod exemplis clarum est, nempe Ieroboami & Sennacharibi, 1. Reg. 13, 4. Es. 37, 29. Unde dici solet. Gott steuret den Wäumen / daß sie nicht in den Himmel wachsen. Super sunt res Sacrae internæ, de quibus seq.

Th. 4.

Homini lapsò, gratiâq; divinâ nondum restituto & regenito nul- lum planè in rebus merè spiritualibus & sacris internis est Liberum Ar- bitrium seu facultas cognoscendi eligendiq; ea, quæ sunt Spiritus Dei. Quia enim πᾶσι δυναμὶς καὶ ἰκανότης in hisce homini animali dene- gatur, qui potentiam habebit ex se ad Deum se convertendi, assensum verbo prædicato præbendi, in Jesum Christum indubitatâ cordis fidu- ciâ credendi, peccatum seriò detestandi, in vitæ emendationem fervi- do studio incumbendi, verbum lectum, auditum, consideratum intelli- gendi & suscipiendi ut verbum Dei, Deum in spiritu & veritate invo- candi, crucem æquo animo ferendi, ad vitam æternam, rebus hujus im- mundi mundi alto animo spretis, aspirandi? Sunt proinde hujusmodi actiones omnes in solidum & unicè gratiæ ascribendæ divinæ. Proba- tur hoc ipsum sequentibus indubitatè veris fundamentibus.

N est, quòd mens humana prorsus cæca est in rebus spiritualibus, teste Apostolo, 1. Cor. 2, 7, 8, 9, 10. Eph. 4. 17. Tit 3. 3. Erasmus quondam & nos amentes, Eph. 5. 8. ἡτε ποτε σκότ. Rom. 8. 6. Prudentia carnis inimicitia est adversus Deum. 2. Cor. 3, 5. ἔχ ἰκανοὶ ἐσμεν ἀφ' ἐαυ- τῶν λογισθῆναι τι ὡς ἐξ ἐαυτῶν, ἀλλ' ἡ ἰκανότης ἡμῶν ἐκ τῶ Θεοῦ.

Quod liberum Arbitrium non solùm sauciatum & vulneratum post lapsum in rebus spiritualibus planè, sed perditum & amissum, vi- resq; ejus nullæ sint, probatur & confirmatur ex cordis hominis non re- nati extrema in spiritualibus pravitate, Gen. 6, 5. & C. 8, 21. figmentum cordis humani tantùm malum est ab adolescentia sua Jer. 17, 9. fraudu- lentum est cor hominis, quis cognosceat illud? Et hæc extrema pravitas cordis & affectuum causa est, cur homo non regenitus dicitur habere cervicem ferream, frontem adamantinam, nervum ferreum, Es. 48, 4. cor durum Rom. 2, 5, lapideum Ez. 11, 19.

Clarissima quoq; & manifestissima est Liberi Arbitrij ἀδυναμία ex eo, quòd homo non regenitus dicitur mortuus in peccatis, Eph. 2, 1. Hinc argumentum. :

Qui

Qui spiritualiter mortuus est in peccatis, ille non potest præstare
spirituales actiones, neq; ad vitam spiritualem ulla ratione se aut præpa-
rare aut applicare valet.

Atqui homo non regeneratus spiritualiter est mortuus. Indè conse-
quenter patet, hominem non renatum non habere Liberum Arbitriū
in actionib; spiritualib;. Non etenim potest præstare ex se spirituales actio-
nes. Quod iterum Scripturæ sacræ fulcimus fundamentis, in quā ipsam
habemus veritatē loquentem, Mat. 7, 18. ἡ δύναται δένδρον σκεπρὸν καρ-
πὸς καλὸς ποιεῖν. Et C. 12, 35. ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τῶ πνηρῶ
θησαυρῶ ἐκβάλλει πνηρὰ. Rom. 7, 5. Cum in carne essemus, effectus
peccatorum operabantur in nobis. Unde maxime opus habemus su-
spirare: Cor mundum crea in me Deus. Ps. 51, 12. Nam nos nec creare,
nec recreare possumus. Errat igitur Pelagianizans Bellarminus, dum cum
concilio Tridentino, expressè negat, Liberum Arbitrium esse per lapsum
primorum Parentum extinctum, dicendo: tantum esse fractum & ex-
tenuatum. 1. 5. de gratia & Lib. Arb. C. 12. Et in Comp. disp. de coo-
peratione gratiæ & lib. Arb. l. 6. de gratia & L. A. c. 15. Ubi hanc po-
nit propositionem: Intelligi non potest, quomodo ad opera pietatis
activè voluntas humana concurrat, si non habeat ex se potentiam acti-
vam, saltem remotam. Th. 4;

Liberum Arbitrium in Homine irregenerato, qui jacet oppressus
tenebris, peccato, morte, nec non Diaboli tyrannide, nihil in actioni-
bus planè spiritualibus *συνεργεῖ* seu cooperatur. Etenim non solum
planè servum, non liberum, non integrum, & non debilitatum solum,
verum & prorsum extinctum & amissum est. Probat ex Joh. 6, 44. ne-
mo venit ad me, nisi Pater traxerit eum, 1. Cor. 12, 3. Nemo potest Je-
sum dicere Dominum, nisi per Spiritum Sanctum. Joh. 15, 5. sine me ni-
hil potestis facere. Rogandus est propter Pater luminis & gratiæ, ut
quia cepit in nobis bonum opus, idem & perficere velit. Phil. 1, 6. Pla-
cet huc referre dictum à B. Lutero nostro. Tom. 4. Lat. Sub Saranæ re-
gno nascimur captivi & subjecti vivimus secundum ejus voluntatē, hoc
est, natura, vires, Liberum Arbitrium, justitia, sapientia humana non pot-
est seipsam liberare à Diabolo; sed securè possidetur ab eo, qui facit per
istam omnia, quæ ei placeant, utiturq; nostra summa sapientia, justitia,
optimis donis & creaturis Dei ad nostram æternam perniciem; sicut
equo

equo sano, forti & pulcro utitur Iatro ad perniciem equi & ad omnem
ipſius libidinem & per mille pericula, cogens ferre ſuum tyrannum, &
tamen equus ſibi ſanus videtur, ignarus quàm iniquo domino ſerviat,
& cum magno ſuo malo: Sic homo ſibi videtur juſtus, ſapiens, fortis,
ſicut equus & mulus, & tamen neſcit, ſeſe ſubjectum tyranno horribili
in ſuam perniciem. Eam autem ob cauſam nemo de ſalute ſua aeterna
deſperet, quando audit, ſe nihil poſſe cooperari, ſe eſſe Satanæ tyranni
di ſubjectum & captivum teneri. Eph. 2, 2. velut equum aut mulum,
ſed notet probè, quòd licet nil habeat, quo ſe vel præparet ad ſalutem,
nec intelligat, nec ſalutem mereatur, habeat tamen quo beneficia Dei
accipiat. Non enim, quia eſt creatura rationalis, ſe habet ad electionem
& converſionem propriè, ut truncus, ſaxum, lutum, equus, mulus, ar-
bor, cadaver; ſed tantùm *μετφορικῶς*. Habet enim auditum & me-
ditationem verbi divini, item poteſt in rebus externis & Civilibus ali-
quid boni aut mali intelligere, aliquid liberè agere aut omittere, Sacra-
mentisq; uti, &c. Hæc media non negligat; & certè fideliffimus animarū
Paſtor Jeſus Chriſtus ſua gratiā non deerit, ut qui vult, omnes ſalvos
fieri & ad agnitionem veritatis pervenire, quo reſpectu ſeipſum gallinæ,
congreganti pullos ſuos, ſe confert *Math. 23, 26.* modo non eſſemus
nolentes. Imò hominẽs trahit, non quidem violenter & coactè, ſed
virtute Spiritus Sancti juxta ordinem à ſe decretum, nempe per audi-
tum Verbi divini. Auditus Verbi divini hic fit mentio; dicat autem ali-
quis; quid prodeſt auditus verbi, ſi nihil cooperari in juſtificatione &
converſione mei poſſum, fruſtra auditus Verbi commendatur?

Reſpondeo. Per Verbum auditum, lectum & cogitatum efficax eſt
Spiritus Sanctus, accendens & exulcitans pios & ſalutares motus. Hinc
dicitur, *Rom. 10, 17.* Fides eſt ex auditu. *Rom. 1, 16.* Evangelium eſt
potentia Dei ad ſalutem omni credenti. *Act. 11, 14.* Petrus loquetur
tibi verba, in quibus ſalvus eris tu & univerſa domus tua. *Ebr. 4, 12.*
Sermo Dei vivus & efficax & penetrantior quovis gladio ancipiti. Ideoq;
auditus Verbi divini maxime commendatus ſit nobis, ne ſecuritate,
carnis vel turpi ſocordiā, vel contemptu Epicureo & ſaſtu impio reſiſta-
mus Spiritui Sancto. Ipſe enim Jehova dixit, verbum non debere va-
cuum reverti ad thronum gratiæ, nec evaneſcere, *Eſa. 55, 11.*

Errat ergò Coſterus in Enchiridio, demonſtraturus Deum & Ho-
minis voluntatem ſimul agere in converſione, hoc ſimili diſſimili utens,
nimium

nimirum de lapso quopiam in foveam tenebricosam, egredi ex eâ non cogitante, &c. Errat Alphonſus Virveſius, aliam ſimilitudinem, ad idem cum Coſteto obtinendum, proponens, deſumptam ab imbecillitate infantie puerorum geſtientium ambulare, nondum tamen valentium ingredi, quibus apponitur machinula quedam lignea, rotulis quatuor ceu pedibus ſuffulta, &c. Alii Pontificii alias proferunt ſimilitudines, ut pote: de aviculâ cavæ incluſâ, de viro catenis ligato. Ex quibus conſtat, quæ ſit & qualis potentia, quam homini poſt lapſum aſſignant Papicolæ. Præprimis ſi addatur ipſorum diſputatio de naturalibus, quæ integra manſiſſe dicunt. Videantur plura de hoc apud D. Mentzerum, pag. mihi 771. 772. 773. Errant itidem hic ſaventes Synergis Calvinis quæ, quod dicunt: Homines gratiæ divini *συνεργεῖν*. Vid. iterum Dominus D. Mentzerus in Exeg. Aug. Conf. pag. m. 776.

Th. 5.

Irrogeniti; ab auditiōe verbi penitus abhorrentes, nunquam convertuntur aut ſalvantur. Deus enim ſine externo audiendi verbum ſtudio non operatur Converſionem aut ſalutem; verum huncce inſtituit ordinem, ut, qui convertatur & converſus ſalvus fiat, Verbum divinum audiat. Id quod patet ex præcedentibus locis allegatis, ex Rom. 1, 16. cap. 10, 17. Et 1. Cor. 1, 21. Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes, adde Act. 13, 48.

Th. 6.

Homines quidem Liberè audire Verbum; ſed operantem & gratiam ſuam donantem Deum, non prævenire auditu poſſunt. Nam nullus niſi DEUS auram plantavit & facultatem audiendi dedit. Exod. 4, 11. Pſal. 94, 9. imò totos ipſe fecit nos & non ipſi nos, Pſal. 100. Deinde Verbum ſuum ſingulari gratia manifeſtat & annunciari curat, Matth. 11, 25. quod aliàs nunquam ex nobis ipſis ſcire aut audire aut diſcere poſſemus, Rom. 10, 14. Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo autem credent, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? Præcedit igitur auditiōem gratuita manifeſtatio & annuntiatio; imò conjungitur gratia Dei cum ipſa auditiōe (Exemplo eſt Lydia Act. 16, 14) eademq; itidem ſequitur auditiōem, clarè teſtante ipſiſſimâ veritate Joh. 15, 4, 5. Rom. 9, 16 Non eſt volentis neq; currentis; ſed miſerentis Dei, 1. Cor. 3, 7. DEUS dat incrementum.

B

Th. 7.

Th. 7.

Liberum Arbitrium, quatenus est ipsa mens & voluntas hominis, prout apud nonnullos Ecclesiasticos Scriptores dici consuevit, rectè & verè dicitur, non esse amissum. In homine enim renato non nova substantia creatur; sed eadem, quæ fuerat labefactata, reparatur, nec aliud ab eo auferitur, quàm vitium, Ambr. l. 1. de vocat. Gentium C. 3. Privatus est quidem homo à Diabolo voluntatis sanctitate, non autem ipsa voluntate.

Th. 8.

Voluntas humana post lapsum ad efficiendam Conversionem se merè passivè habet. A Deo enim convertitur, non sese ipsa convertit. *Converte me Domine, & convertar Jer. 31, 18.*

Proinde rectè & verè Lutherus dixit: hominem habere se in Conversione, ut truncum, idq; secundum scripturas, Ps. 115. 4, 5, 8. similitudines gentium sunt argentum & aurum, os habent & non loquuntur, oculos habent & non vident, nares habent & non olfaciunt, manus habeant & non palpant, pedes habent & non ambulant, & non clamant in gutture suo, כְּמִוֶהֱ יְהוּ עֵשִׂיהֶם כָּל אֲשֶׁר בְּפִתְחֵי בָהֶם. Es. 64. 8. Nunc autem Domine, Pater noster es tu; nos verò lutum, & fictor noster es. Ne autem quis cavilletur, hanc similitudinem aliò respicere, Paulus eam ad hominum accommodat, Rom. 9, 21. Sic Matth. 3, 10. Jam securis ad radicem arborum posita est, omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur & in ignem conjicietur. Plures in Codice Sacro inveniuntur similitudines, quibus homo comparatur montibus, collibus, Es. 40, 6. fœno, flori campi, Ps. 103, 15. folio à vento agitato Job. 12, 15. oviculæ errabundæ Esa. 53. 6. drachmæ deperditæ, divinâ imagine omniq; decore destitutæ Luc. 15. 2. Adamanti, ferro, chalybi, petræ, quæ ut incus non ictus curant. Quoniam ergo Spiritus Sanctus ipse utitur hac similitudine, & nos uti poterimus, ipsius ductum sequentes, ab illa cum Synergistis non abhorrendo. Interim non nescientes, plurimum inter hominem & truncum interesse.

1. Quod ad creationem spectat, quâ homo præstat omnibus aliis creaturis, habens intellectum & voluntatem in rebus rationi subiectis, ut suprâ ostensum fuit, quibus caret truncus,

2. Quoad

2. Quoad Redemptionem. Christus Jesus enim propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælo, non propter truncos, lapides, statuas, arbores.

3. Quoad Sanctificationem. Nam DEUS, habitans in excelsis, ministerium Evangelij non instituit ob truncos & arbores; sed hominum causâ Matth. 28, 19. Docete omnes gentes. Hinc non Colligitur Ecclesia ex truncis & jumentis, verum ex hominibus, quibus Spiritus Dei datur, non autem pecudibus, truncis: Homines enim convertuntur & salvantur. Eph. 4. 8 Dona accepit pro hominibus. Hominibus iridem remittuntur peccata, hominibus dabitur vita æterna, non truncis, jumentis, lapidibus.

Videmus hinc maximam differentiam inter hominem & truncum. Eapropter tantum propter similitudinem, & analogiam in aliquibus rebus truncus, lapidi & jumento, à Spiritu S. & Luthero comparatur homo non conversus (N) Quia homo in rebus merè spiritualibus ex naturalibus suis nihil agit, nihil intelligit. ut jumentum & truncus, Luth. super Pl. 90. (2) Quia Homo se ipsum non potest convertere (quippe quod est opus solius DEI) velut truncus non potest cooperari ut ex se formetur imago, sed tantum est opus Artificis (3) ut ostendatur hominem in sui Conversione esse tantum passivum seu subjectum patiens: sicut lapis & truncus tantum sunt materia seu subjectum patiens.

Th. 9.

Quin Homo non renatus & impœnitens pejor est truncus aut jumento seu creaturæ irrationali (a) Quia hæc nõ reluctantur suo opificis ille verò DEO, verboq; divino in rebus spiritualibus repugnat & inimicus est, Rom. 8, 6. I. Cor. 2, 14. ψυχικὸς ἄνθρωπος ἔδειχται τὰ τῶ πνεύματι ὁθεὶς, μωρία γὰρ αὐτῶ ἐστὶ καὶ ἔδυναται γινῶναι, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται. (β) Quia bos agnoscit possessorem suum & asinus præsepe Domini sui, Est. 1, 3. quod haud incompte redditur hoc Disticho:

Bos agnoscit heri præsepe stultus a sellis

Agnoscit Domini qua stetit ante domum.

Jer. 8. 7. Ciconia in cælo cognovit tempus suum, turtur, grus & hirundo observant tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit

judicium Domini. Homo non renatus ex se & viribus suis naturalibus
suoq; intellectu non agnoscit suū Creatorem, Redemptorem, Sanctifica-
torem. (2) Quia interitus jumentorū & truncorū saltem temporalis est,
hominis autem impoenitētis & temporalis & æternus, Matth. 3, 10. C. 25.
41. gehet in das ewige Feuer. quod hodie multi a se non cogitaturi
sunt. Obijciat quispiam: Hominem non renatum posse suis viribus au-
dire Verbum Dei. E. esse meliorem & non pejorem jumento aut trun-
co, & vel hęc ratione aliquid ad sui conversionem adferre.

R. Esto primum, quod hoc respectu homo melior sit jumento &
trunco, secundum autem quod furtim quasi subnectitur, hęc ratione ho-
minē aliquid ad sui conversionē adferre, est quod inficias imus: & nega-
tur ideō Consequentia, quia auditus Verbi exterior est tantū studium hu-
manum & externum, pertinens ad velle pædagogicum. Conversio verō
pertinet ad velle spirituale, diligentissimeq; distinguendum inter exter-
nam verbi divini auscultationem & internum mentis devotionem in il-
la auscultatione. Præterea externus verbi divini auditus non est causa
conversionis per se & ex opere (ut loquuntur barbare) operato, sed cau-
sa media & organica, quatenus nimirum DEUS verbum prædicatum
& à nobis auditum, suā vi & bonitate consecrat in medium conversio-
nis, perq; illud efficaciter intus operatur.

Th. 10.

In Tertio statu, qui est post Conversionem, homini, ex aqua & Spiritu
renato, est libertas & facultas vitiosis motibus, Spiritus Sancti auxilio,
resistendi, vel nōdem etiam indulgere, rursusq; à Deo deficere homo pot-
est, intermissā nimirum debitā sollicitudine & neglectā Spiritus S. gratiā.
Hanc thesin dilucidabunt & confirmabunt evidentissima sacrarum li-
terarum loca. Joh. 8, 36. si Filius vos liberavit, verē liberi estis. 2. Cor. 3,
17. ubi spiritus Domini, ibi libertas Rom. 6. 18. Liberati à peccato, ser-
vi facti estis justitiæ. Matth. 12, 35. bonus homo de bono thesauro cor-
dis sui profert bona. Matth. 7, 17. πῦν δένδρον ἀγαθὸν καρπὸς καλὸς
ποιεῖ. Gal. 5. 25. Si Spiritu vivimus, Spiritu & incedamus. Hinc toties
monemur renati, ut sanctis operibus studeamus, opera carnis non per-
ficiamus, in bono perseveremus, omnia unice ad Dei gloriam refera-
mus & in bono quotidie proficiamus. Joh. 15, 1, 2, 3, 4. Rom. 10, 8. pro-
pè est

pè est verbum in ore tuo & in corde tuo, 1. Cor. 10. 31. εἴτε ἐδίεσθε, εἴτε
βίβετε, εἴτε τι ποίετε, πάντα εἰς δόξαν Θεῶν ποίετε. Gal. 6, 8, 9. ὁ ἀεί-
ρων εἰς τὴν σάρκα, ἐαυτὸν ἐκ τῆς σαρκὸς θερίσει φθορᾶν, ὁ δὲ ἀεί-
ρων εἰς τὸ πνεῦμα, ἐκ τῆς πνεύματος θερίσει ζωὴν αἰώνιον. τὸ δὲ
καλὸν πάντας μὴ ἐκκακῶμεν. κατὰ γὰρ ἰδίω θερίσομεν μὴ ἐκ-
λυόμενοι.

Notandum hic est, licet homo conversus habeat liberatum Arbitrium ;
tamen solius divinæ benignitatis opus & donū esse, eundem credere, in fi-
de perseverare, quævis pro divini nominis gloria pati & æquo animo su-
stinere, teste veritatis organo electo : Qui capit in vobis opus bonum,
idem perficiet usq; in diem JESU CHRISTI. Ergo Virtuti Altissi-
mi omnia ascribamus & filio ipsius dilectissimo, in quo, nos corrob-
rante, omnia possumus, Phil. 4, 13.

Th. 11.

Homo, quatenus est regeneratus & conversus, liberatum quidem ha-
bet in Spiritualibus Arbitrium; verū quatenus peccati reliquiæ ad-
huc hærent in eodem, eatenus captivus est, & perpetuò luctari necesse
habet, donec corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, 1. Cor. 15,
54. Videatur itidem 2. Cor. 5 Gal. 5, 17. Caro concupiscit adversus Spiritu-
m, Spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adver-
santur, ut non quæcunq; vultis, illa faciatis. Firmissimum hæc re præ-
bet Paulus proprio suo exemplo argumentum, Rom. 7, 14. 15. 16. 17. Sci-
mus, quòd Lex Spiritualis est, ego autem Carnalis, venundatus ὑπὸ τῆν
ἀμαρτίαν. Quod enim operor, non intelligo, non enim, quod volo
bonum, hoc ago; sed quod odi, illud facio. Si autem, quod nolo, fa-
cio, consentio Legi, quòd bona est, nunc autem non ego operor
illud; sed quod habitat in me peccatum, ἀκῶσαι ἐν ἐμοὶ ἀμαρτία.
Quo vel uno dicto ad oculum demonstratur, falsissimum errare erro-
rem Photinianos, dicentes: Vires naturæ tantas esse, ut adjunctæ a Deo
implere Legem possint & æternam vitam promereri; Reliquis funda-
minibus sacris nunc omissis, quæ videri possunt, Eph. 2. v. 12, 3, 5. Col.
2, 13, 14. Rom. 3. Gal. 2, 3.

Th. 12.

Tandem in Quarto statu Hominis, qui erit post resurrectionem

B 3

libe

liberum Arbitrium in renatis, sanctificatis, beatis erit perfectissimum. Nam ibi erit nobis voluntas & facultas ex toto corde obediendi & celebrandi DEUM Conditozem, nostrumq; dulcissimum Redemptorem, Jesum Christum; ibi ab omni miseriâ & peccato liberati, divina luce, justitiâ, sanctitateq; ita confirmabimur, ut peccare amplius non possimus. Quam libertatem demùm in caelesti Academia experientia ipsâ addiscemus, quando non amplius per speculum in ænigmate visuri sumus, 1. Cor. 13, 9, 10, 11. & quando DEUS erit omnia in omnibus, ibid. 1. Cor. 15, v. 28. Obijciat iterum quispiam, & dicat quomodo in vita æterna stare possit liberum Arbitrium, quando ad utrumq; oppositorum voluntas hominis se ambigüe non habebit? R. hæc ratione, quia spontaneâ & liberâ voluntate DEUM sine fine celebrabimus. Det nobis DEUS hanc perfectionem summam & æternam, propter Filium suum Jesum Christum, cui cum Patre, Hagioq; Spiritu sit
GLORIA IN EXCELSIS.

Corollaria,

An tollat libertatem Arbitrii præscientia Dei, rebusq; præscitis inferat necessitatem? N.

An Deus præcipiat impossibilia? N.

An mandatorum divinorum, quibus movemur resipiscere, nullus sit usus? N.

An utiliter dicatur post hominis mortem: Concedat Deus ipsi æternam salutem. N. Satius est dicere: Concedat Deus nobis benè mori & salute animarum frui.

An Deus multa possit facere, quæ non facit? A.

An, apud Deum quicquam esse impossibile, impossibilissimum sit? A.

An Libertas Arbitrii stare possit cum voluntate Dei, quâ omnes homines vult salvos? A.

Ad Dn. Respondentem.

IE studio invigilare sacro, nec vivere se-
gnem,
Varnus ubi præsens ostia noster habet;
Ipse probas scribendo Theses; quas ritè tuendas,
Musis Varniacis exhibuisse placet.

Cum gratulatione & voto scrib.

P R Æ S E S.

LI B E R es in vitiis, in sanctis **SERVUS** agendis,
Det Deus, ut fugias illa, sed hæcce probes!

In honoris ac favoris signum f.

Philippus Zincke / S. S. Theol.
& Phil. Stud.

Cui Deus ingenium, Daniel, meliore metallo;
Cui dedit Eusebiæ dona beata Deæ;
Quam sudas doctis! quam sudas fortibus ausis!
Quam pia jam misâ Phocide, Sina juvat!
Maecte istis, Daniel pulcrâ vernante juventâ,
Excipiet flores mox seges alma tuos,

*Gratulabundus hæc paucula Amico suo sincero
scribebat*

Johannes Zeisius, Kindel-
bruccensis Thur.

In

IN toto sacro scripturæ codice nullus
Omninò locus est, quem non laceravit iniquè
Pontificum vesana cohors, vel lingua Pelagi
Vel Flacii vel Calvinii furiosa caterva.


Sic neq; lingua procax potuit relinquare purū
Articulum hunc, cujus tua dissertatio nomen
Exhibet, ast fœdâ hunc errorum aspergere labe
Conatur, Verùm **SCHUCK MANN** *Præside*
doctè


Tu nexûs dubios solvis, tu dogmata falsa
Confutas, & quid verum sit ritè tuêris
Publicitus magnâ Doctorum astantè catervâ,


Hinc etiam merito jure à me carmina poscis,
Macte labore sacro; studio pietatis & artis
Fac crescas, felix *Juvenum Doctissime* perge
Et TE Coelipotens quondam decorabit honore,

*Hec paucula in honorem Præstantiss. Dn. Resp. Amici sui
multum amandi & estimandi depropet abas Ro-
stochiæ abiturians*

Johannes Casparus Hessius,
Th. & Ph. Stud. Nordhuf. Thur.







Ad Dn. Responde

IE studio invigilate sacro
gnem,
Varnus ubi praesens osti
Ipse probas scribendo Theses; q
Musis Varniacis exhibuisse p

Cum gratulation

LIBER es in vitiis, in sanctis Si
Det Deus, ut fugias illa, sed h

In honoris ac fav

Philippus Zi
&

Cui Deus ingenium, Daniel, n
Cui dedit Eusebiae dona bo
Quam sudas doctis! quam sudas
Quam pia jam missa Phocide
Macte istis, Daniel pulcra verna
Excipiet flores mox seges alm

Gratulabundus hac pa

Johannes Ze
bru

